



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

62. An Sacerdos assistens matrimonio clandestino incurrat post Concilium Tridentinum suspensionem triennalem, de qua in cap. ult. § final. de Clandest. desponsat? Et an suspensus ab Officio, quia ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Sup. hoc ibi-
deq. §. ult.
Ordine male suscepto dispensare, procul sequun-
tur Geminianus, & Præpositus hic, & Hostiensis,
& hanc sententiam docet etiam Riccius *part. 4. de-
cis. 108. num. 3.* Et tandem notandum quartò hanc
suspensionem tolli per Bullam Cruc. ita Granadus
in 3. *part. tract. 5. de suspens. disputatione 4. cas. 4.
quest. 2.*

RESOL. LIX.

An Ordinatus per saltum sit suspensus ab Ordinibus,
quos legitime suscepit?

Et an administrando in Ordine, quem per saltum susce-
pit, efficiatur irregularis? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 28.

Sup. hac mi-
nistratio-
ne in Ref. præ-
terita, §. ult.
ad lin. 7.
§. 1. R Espondeo ordinatum per saltum esse suspen-
sum tantum ab Ordine, quem per saltum
suscepit, & ita ministrando effici irregularem, non
autem ab usu Ordinum inferiorum, quos legitime
susceperat, tenent Henriquez in *summ. lib. 14. cap. 6.
§. 3.* Aloysius Riccius in *praxi rerum fori Eccles. de-
cis. 318. in 1. edit. aliàs resol. 276. n. 2. in 2. editione, & in
in decisione Curæ Arch. Neapolit. part. 4. decis. 150.
num. 8.* Mar. Alter. *de cap. 5. ver. hac supposita.* Bonacina
de *suspens. in particulari, disp. 3. §. 1. punct. 2. n. 10.*
Avila de *cons. part. 7. disp. 9. sect. 5. dub. 2. conclus. 2.*
Suar. de *cons. disp. 31. sect. 1. num. 42.* unde non est au-
diendus Navarrus *cap. 27. n. 242.* & Majolus de *irre-
gular. lib. 4. cap. 12.* contrarium docentes.

RESOL. LX.

An qui ministrat in Ordinibus per saltum susceptis, indi-
geat Apostolica dispensatione, vel sufficiat Episcopalis?
Et an hoc etiam procedat non solum in majoribus, sed
etiam in minoribus Ordinibus?

Et an Episcopus possit dispensare cum ministrante pu-
blice, & scienter in male suscepto Ordine, ut præter-
missum suscipiat, & in male suscepto ministret? Ex
p. 5. tr. 9. Refol. 29.

Sup. hoc sup.
in Ref. 58. §.
ult. post
med. à vers.
Sed dicen-
dum, & lege
etiam Ref.
& §. not. i.
dicti §. ult.
§. 1. A Postolica indigere dispensatione docet Sua-
rez de *cons. disp. 31. sect. 1. num. 52.* ubi ne-
gat Episcopum posse dispensare cum ministrante in
male suscepto Ordine, ut in ipso post susceptum
prætermisum ministret, & huic sententiæ ego adhæ-
reo, & idem docet Barboza de *potestate Episc. part. 2.
alleg. 47. num. 10.* Majolus de *irregular. lib. 4. cap. 12. n. 2.*
Salzedus ad *Bernard. cap. 24. lit. D.* Sayrus de *cons. disp.
lib. 4. cap. 14. num. 26.* Alter. *d. cap. 5. ver. hoc in loco.*
Filliucius *tom. 1. tract. 17. cap. 5. num. 92.* Riccius in *de-
cis. Cur. Archiepisc. Neapolit. decis. 150. num. 5. punct. 4.*
Homobonus de *examine Eccles. tract. 12. cap. 13. §. 15.*
resol. 5. Bonacina de *suspens. in part. disp. 3. quasi. 1.
punct. 2. n. 12.* & hanc sententiam procedere non so-
lum in majoribus, sed etiam in minoribus Ordini-
bus, ex sacra Congregatione docet Riccius *part. 4.
decis. 198. num. 4.* & Campanili in *divers. jur. Can.
rub. 10. capite un. num. 6.*

Sup. contem-
to in hoc §.
cursum in §.
& vers. Ref.
annot. 1. hu-
jus Ref.
§. 2. Verum non desinam hic adnotare doctum
Acugnam contrarium docere in *Decretum Gratiani,
part. 1. dist. 52. cap. 1. num. 13.* ubi sic ait: Dico sextò,
Episcopus potest dispensare cum ministrante publice
& scienter ante dispensationem in male suscepto Or-
dine, ut prætermisum suscipiat, & in male suscepto
ministret. Fundamentum est, quia Episcopus solum
non potest dispensare cum male promotò ministrante
in taliter suscepto Ordine, ut ad Superiores possit
ascendere, cum id tantum ipsi prohibeat Trid. *dist.
sess. 25. c. 14. de reform.* Ita Acugna.

RESOL. LXI.

An qui durante matrimonio ignoranter suscepit Ordinem,
incurrat suspensionem?

Et aliqua alia docentur circa præsentem questionem, pro-
durante, & soluto matrimonio. Ex p. 5. tr. 10. Ref. 59.

§. 1. R Espondeo quod suspensio incurritur ab eo
qui durante matrimonio etiam non con-
summato præsumit suscipere sacros Ordines extra
casus à jure concessos. Ita *Extravag. antiquæ, Ioan-
nis XXI. de voto.*

2. Notandum est ad hanc censuram incurrendam
requiri præsumptionem; unde qui solum ex igo-
rantia procedit, licet crassa, vel supina, non suspendi-
tur, & soluto matrimonio potest in Ordinibus mini-
strare, si nullum aliud intercedat impedimentum, &
multo magis si bona fide processerit: durante tamen
matrimonio non potest: si præsumpserit Ordinem sus-
cipere, non potest in eo ministrare etiam soluto matri-
monio, nec potest ad alium ascendere, vel promoveri
ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum, & nisi
taliter profiteatur in Religione approbata, solus Pon-
tifex potest eum absolvere, ut *Extravag. cit.* Si pro-
fiteatur, potest Diocesanus dispensare, ut ibidem ha-
beatur. Et hæc omnia docet Præpos. in 3. *part. quasi. 3. de
suspens. dub. 5. num. 40.* Vnde ego olim sine aliqua dis-
pensatione celebrare feci post mortem uxoris quem-
dam sic ordinatum, qui bona fide Ordinem susce-
perat, credens conjugem esse mortuum.

RESOL. LXII.

An Sacerdos assistens matrimonio clandestino incurrat
post Concilium Tridentinum suspensionem triennia-
lem, de qua in cap. ult. §. final. de clandest. des-
ponat.

Et an suspensus ab officio, quia interfuit matrimonio
clandestino, non sit suspensus à beneficio?

Et notatur, quod vigore Concilii sess. 14. cap. 1. de ma-
trim. qui ausus fuerit matrimonialiter conjungere, aut
benedicere alienos Parochianos, & absque licentia pro-
pria Parochi, ipso jure suspensus manet.

Et an in hoc casu cesset pena excommunicationis contra
Religiosos matrimonia solemnizantes, secundum De-
clarationem Cardinalium? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 59.

§. 1. P Oenam suspensionis triennialis ab officio, non Sacerdos
tamen ipso facto impositam in d. cap. Parochi, in hoc d.
vel alii Sacerdoti assistenti matrimonio clandestino
sine aliis testibus non esse sublatam per Concilium Tri-
dentini decretum *sess. 24. cap. 1. de matrimonio;* sed à hoc d.
præterea licere Episcopis in illos alia pena arbit-
raria animadvertere tradunt Coninch de *Sacram. in 1.
disp. 27. dub. 10. num. 84.* Alterius de *cons. sem. 2. disp. 11.
cap. 5.* Barboza de *potestate Episc. part. 2. allegat. 32. n. 162.*
Majolus de *irregular. lib. 3. cap. 23. num. 16.* Ledesma
in *summ. tom. 1. de Sacram. matrim. cap. 6. conclus. 4.*
dub. 16. & alii.

2. Verum Sanchez *tom. 1. lib. 3. disp. 48. num. 4.* Sup. hoc
contrariam sententiam docet, cui ego libenter adhæ-
reo cum Hurtado de *matrim. disp. 5. diff. 17. n. 15.* & res-
asserente dictam suspensionem triennem cessasse, citando
quia rationi conforme est, ut quando lege nova im-
ponitur mitior pena, quam erat imposita lege anti-
quiori, cesset antiqua, præsertim quando tempore Rei-
gis novæ delictum sit factum minus periculosum Re-
publicæ Ergo per penam arbitratiam impositam no-
va lege Triid. cessat antiqua suspensionis triennalis,
quia

quia illa arbitraria est mitior, & post Decretum Trident. matrimonium sic factum, utpote nullum, est minus pecciosum Reip. quam antea, quando validum manebat.

3. Nota etiam hic unum valde observandum, quod in Concil. Trid. ubi sup. statuitur, ut Parochus, aut alius Sacerdos adhuc Regularis, qui ausus fuerit matrimonialiter conjugere, aut benedicere alienos Parochianos absque licentia Parochi proprii ipso jure suspensus maneat, donec ab Ordinario Parochi, ad quem id pertinebat, absolvatur, ac proinde ob rationem supradictam corrigitor, & cessat poena excommunicationis contra Religiosos matrimonia solemnizantes, lata in Clem. 1. de priv. quod declaravit Congregatio Cardinalium, cujus declaratio aperte favet nostrae doctrinae de cessatione suspensionis triennalis. Et haec omnia docet Hurtad. loc. cit. num. 16.

4. Notandum est etiam hic obiter, quod stando in prima opinione, suspensum ab officio, quia interfuit matrimonio clandestino, non esse suspensum à beneficio, quia dist. c. ult. solum mandat esse suspendendum ab officio, & ita docet Alter. loc. cit. & Barb. n. 165.

RESOL. LXIII.

An Clericus suspensus ab Officiis Divinis, silla audiat, peccet, sed non incurrat irregularitatem? Ex part. 5. tract. 10. Refol. 12.

§. 1. Affirmativam sententiam tenet Sylvest. ver. suspensio, q. 5. ver. si vero suspensio, & alii apud Sayr. lib. 4. cap. 5. num. 26.

2. Sed ego puto si Clericus suspensus à divinis Officiis, illis tanquam laicus assistat, non solum irregularitatem non incurrit, sed neque peccatum admittere, quia hoc non facit officio, & ita docet Fil. luc. tom. 1. tract. 17. cap. 2. n. 33. & alii.

RESOL. LXIV.

An venatio sit Clericis licita, quia in cap. 1. de Cleric. venat. Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, prohibitum est sub poena suspensionis?

Et an, si tamen raro fiat causa recreationis, non sit peccatum, & secus si frequenter fiat? Ex p. 3. tract. 6. & Misc. 2. Ref. 19.

§. 1. Ad hoc quaesitum negativè respondet Ioan. Franciscus Suar. in Enchirid. casuum conscientiae, lib. 2. §. Clericus, ubi sic ait: Venatio sine strepitu etiam Praelato est licita causa recreationis, etiam cum canibus, modeste. Panor. in cap. 1. de Cler. venat. Hoc tamen dictum videtur contra d. cap. 1. ubi Episcopis, Presbyteris, & Diaconis prohibitum est sub poena suspensionis, ne canes, aut accipitres ad venandum habeant; & cap. 2. eodem tit. interdicuntur venationes, & sylvaticae vagationes cum canibus. Idem habetur cap. 1. ne Cler. vel mon. Ita Suar.

2. Sed ego puto cum Panormitano, venationem Clericis recreationis causa non esse prohibitam, dummodo non sit omnino clamorosa, sed modesta, nempe cum rebus, vel laqueis, atque etiam cum aliquibus canibus. Imò si esset omnino clamorosa, si tamen raro fiat causa recreationis, non esse peccatum mortale existimo, secus autem si frequenter. Et ita docet Valer. in differentiis utriusque fori, ver. peccatum, differ. 20. Rebell. lib. 1. quest. 14. n. 10. & alii.

RESOL. LXV.

An Clericus utens vestibus prohibitis incurrat suspensionem? Tom. V.

suspensionem? Ex part. 5. tract. 10. Refol. 5. 10.

§. 1. Affirmativam sententiam docet ex c. 2. de vita & honest. Cler. Cornejo in 3. p. tract. 5. de susp. disp. 4. cas. 13. Idem docet ex Clem. 2. eod. tit. Mercerus de Sacram. 3. p. q. 24. dub. 7. num. 9. Turrian. de cens. lib. 5. disp. 46. dub. 3. qui tamen cum Navar. cap. 27. n. 57. observat ad incurrandam hanc censuram non sufficere, si quis ex peculiari occasione semel utatur vestibus prohibitis, sed Avila de cens. part. 3. disp. 5. dub. 8. docet, quod in tribus casibus Clerici excusantur ab hac poena; primò qui gestat has vestes occultè, ut domi in studio. Secundò si gestet secretò subius alias vestes, ita ut in publico non appareant. Sic Bernard. Diaz. cap. 75. Tertiò, si gestet ob celebrationem alicujus festi, ut doctoratus, nuptiarum, vel alterius similis festi, vel ob aliam justam causam. Sic Bernard. Diaz. & Navar. cap. 27. num. 157. & Henriquez lib. 13. de excomm. cap. 39. num. 3. in glossa licet. A. testatur quodam recentiores asserere, quod haec poena est derogata consuetudine. Haec Avila.

Quoad hoc in to. 7. tr. 5. lege doctri- nam Ref. 6.

RESOL. LXVI.

An Clerici publicè concubinarij sint suspensi? Et an, qui Ordines suscipit ab Episcopo notorio concubinario, aut fornicario, remaneat suspensus ab Ordinis executione? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 49.

§. 1. Sse suspensos ipso jure, docet Navar. cap. 29. n. 76. & c. 27. n. 154 & probatur primò ex cap. ult. de cohabitatione Cler. & mul. & ex cap. si qui sunt, dist. 81. c. nullus, & c. prater dist. 32. & cap. ult. 15. q. 8. & cap. Sacerdos, dist. 50. sed contrariam sententiam docet Sor. 4. dist. 1. q. 5. art. 6. & dist. 13. q. 1. art. 9. ubi fatetur jure antiquo latam fuisse talem suspensionem, sed jam cessasse, & solum sequutus est Medina in sum. lib. 1. cap. 11. §. 8. qui Doctores non assignant jus novum, per quod fuerit antiquum abrogatum, sed per non ulum putant cessasse, & Suar. disp. 31. scilicet 4. a. num. 10. hanc sententiam docet, ait enim n. 1. quod licet probabile sit in jure antiquo fuisse latam talem suspensionem, tamen ex usu & consuetudine satis constare non incurri eam suspensionem propter tale crimen. Secundò probat ex Conc. Trid. sess. 25. c. 14. de reform. ubi hoc videtur supponi, dicit enim hos Clericos puniendos suspensione, si opus fuerit juxta sacros Canones; ergo supponit juxta eos non esse ipso jure suspensos. Deinde à n. 12. doctè ostendit etiam ex jure antiquo non satis colligi hanc suspensionem latam. Et haec omnia docet etiam Turrian. de cens. lib. 5. disp. 46. dub. 5. & Mercet. de Sacram. in 3. p. q. 24. dub. 7. n. 34. & idem Alter. de cens. tom. 2. disp. 9. c. 5. existimat eum qui Ordines recipit ab Episcopo notorio concubinario, aut fornicario, remanere suspensum ab Ordinis executione; cum enim Episcopus ob hujusmodi crimen suspensus careat usu, & executione sui ministerii, non potest ulum, & executionem Ordinum aliis conferre. Vide etiam Cornejo in 3. p. tract. 5. de susp. disp. 4. cas. 1. qui licet asserat dictos Clericos esse ipso jure suspensos, tamen putat, & rectè, per disuetudinem talem suspensionem esse abrogatam; & ita etiam docet Medina in instit. lib. 1. cap. 11. §. 8. Gutier. in 99. can. lib. 1. cap. 15. n. 43. & Avila part. 3. disp. 5. dubit. 2.

In Indice primo hujus Tom. 5. lege Appendicem ad hunc Tract. 3. Vbi reperies alias multas diff. mistas, & dispersas per alios Tom. Tract. & Ref. quae simul pertinent ad hunc Tract. 3. de Suspensione.

R 3. TRACTA